


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
13 A
66

QVAESTIONES AD IVSTITIAM ET SALVTEM CONSEQVENDAM PERTINENTES.

Auctore Tullio Crispoldo, Clerico Reatino.



ROMAE,

Apud Hæredes Antonij Bladij Impressores Camerales.

Anno Domini. M. D. LXXIII.

QVAESTIONES AD iustitiam, & salutem consequendam pertinentes.

Auctore Tullio Crispoldo Clerico Reatino.

Operis Argumentum.

COnsiderata mea erga Deum & ea, quę Dei sunt, tepiditate, & quod nonnulli eam etiam in se ipsis solent accusare, feci infra positas quęstiones.

Nempe, an Iustitia Dei, qua formaliter iusti efficimur, & bonus vsus eius vsque in finem, id est ipsa perseuerantia, sine quibus iusti saluique esse non possumus, sicut sunt dona Dei, & per eius gratiam impetrabilia, possint etiam quod non magna a nobis diligētia, & deuotio adhibeatur, impetrari.

Tum, posito quod in impetranda iustitia, & perseuerantia non modo frequens, sed etiam magna diligentia requiratur, an id

impetrabimus, ſi nos ipſos Chriſto deda mus totos, non modo quia id facere de beamus, ſed metu periculi recedendi, & ſpe efficacis auxilii Domini Ieſu, quo fa ciat ne ab ſe vnquã amplius recedamus, aut ſaltem ne in finem recedamus.

In tertia parte repetitur aliquid de ſecunda parte, & additur quid bonitas Chriſti re ſponſura videri poſſit, ſi Chriſtus ipſe de ditium ſuum abeuntem, aut abire volẽ tem, permittere velit abire.

Poſtremo quęritur, an qui non dum ſeſe to tum Chriſto dat, ſed dare cupit, petitq; ab ipſomet Chriſto fieri, vt ei ſeſe totum det, quid ipſius Chriſti bonitas pro hoc ſit allegatura, vel ſperari poſſit eſſe allegaturam.


VM ex fide habeamus per ipsum Deũ non ſtare, quin omnes homines ſalui fiant, atq; ideo ipſum vnicuiq; iuſtitiã, & perſeuerantiam, ſine quibus ſalui eſſe non poſſumus, dare, aut certe paratum eſſe dare: quæri poteſt, cur nõ omnes ſalui fiant, non modo eorũ qui hoc non credunt, ſed etiam chriſtianorum: an autem id ſit, quia non omnes ſalui eſſe velint, an quia non omnes in id pro dignitate laborent. Et non videtur id eſſe, quia non omnes ſalui eſſe velint, reſtat non omnes pro tantæ rei dignitate laborare. Id autem quam ob rem fiat, incertũ eſt: nam pro multò minoribus rebus ſolemus ardẽtiſſime laborare: forte non ſic ſalutem credimus eſſe precioſam, vt diuitias, ſciẽtias, voluptates, honores: At nos hic agimus de catholicis, qui ex fide ſciunt hæc omnia ſaluti comparata pro nihilo eſſe: qui ſciunt Dominum dixiſſe, Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Forte non ſperant ſuis labori-

boribus, & operibus in Deo faciendis, se tã facile salutem assecuturos, vt cetera, in qui bus liceat interdum esse negligentibus, aut laborẽ, & persecutionem refugiũt: & quòd hominibus, quos inter viuunt, non placẽt ij, qui saluti operam dant non negligenter.

Et quidem cogitare possumus Deo nos seruire debere omni conatu, & magnum es se vitium in hoc tepescere: pręsertim cũ id & naturalis ratio, & lex domini, quę iustissime totum cor, totam animam, & vires no stras omnes exigat, & sanctorum exempla docent, quid in hoc sit agendum: tamen & sunt, qui facilem esse viam salutis, & minimo conatu ad salutem posse perueniri putant: neque tamen propterea illum minimũ conatum adhibent, aut sic adhibent, vt ma gis nolle, quam velle salutem videantur. Verum siue hoc, siue illud, siue quid aliud in causa sit, vt simus negligentes, tamẽ pro pter eos, qui labore deterrẽtur, & quadam desperatione perueniẽdi refugiunt, aut pro crastinant; videtur mihi non absurde, neq; superflue quęri posse, an modica diligentia satis sit ad iustitiam, & perseuerantiam impetrandam: quibus impetratis, quãtumuis

arcta

arcta sit via, & p multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum Dei, fient omnia, & perueniemus: nam Deus perducit eos, quibus iustitiam, & perseuerantiam exoratus concedit.

Et quoniam modica diligentia a modica fide soleat euenire, quæro an modica fides in hoc ad iustitiam imputetur?

Et videtur modicam fidem in hoc ad iustitiam non imputari, cũ quilibet facile magna fide credere possit se a domino Deo saluum fieri posse. Sed hoc non obstante, clarum est etiam modicam fidem sufficere: modo enim sit fides, Deus eam nobis ad iustitiã imputat, vt qui dicit, Si habueritis fidẽ tamquam granum sinapis. Matt. 17. c. & lucæ. 17. d. apparet in Niniuitis Ionæ.3.& in Naam Syro 4. reg. 4.

Tunc quęro an fides modica ad iustitiam imputata faciet, vt Deus etiam modicũ orationis feruorem, & modicam diligentiam acceptet, atque exaudiat: nam in Niniuitis magna fuit diligentia. Hoc dico, quia modica fides modicas facit elicere actiones, vt qui prout credimus, ita & loquimur. Psal. 115. 2. Cor. 4. & similiter operamur, cum

fidei ſcilicet obedimus:ſic enim ad Heb.11. ſancti per fidem dicuntur iuſtitiam operati.

Et non videtur: nam per iuſtitiam Dei, ad quam nobis fides imputatur, non iuſtificantur peccata: peccatum autem eſt in hoc petendo non eſſe diligentem, quoniam ex inconſideratione id euenit: inconſideratio autem peccatum eſt, præſertim in re tanti momenti, cum conſiderare diligentiſſime debeamus, quanto in periculo ſimus, antequam ſimus filii promiſſionis. Item poteſt euenire ex modica voluntate ſalutis, quod & ipſum graue peccatum eſt, cum eam deſiderare toto corde, & animo debeamus, ſi non propter nos, certe ob gloriam Dei, & ob præceptum ipſius. Tamen etiam hoc nõ obſtante dicere poſſumus etiam modicum orationis feruorem, & modicam diligentiã ſufficere, modo iuſtitiã ipſam vere velimus, & ipſam perſeuerantiam, quia ob id iuſtitiã petimus, & ipſius augmentum, & confirmationem, vt quod nondũ ſumus, efficiamur feruidi, & diligentes. Nam ſi Deus in tanto quod in carne noſtra habitat malo, diligentiam noſtrã expectat, timemus facilius nos repudiaturos eſſe inuitantem ipſum, vt parabo-

rabolis vineæ, nuptiarum, & cœnæ a non nullis factum videmus, quam vt simus dili genter petituri: neque enim nos illis melio res audemus arbitrari, nisi prius hanc Dei iustitiam,& perseuerantiam quoquo modo petentes impetrauerimus.

Rursus non videtur in his petendis suffi cere paruus feruor, & parua diligẽtia: quia priusquam fideles fuerimus in talentis acce ptis, petimus præmium: simus fideles in pri mis talentis, & ita iustitiam ex gratia conse quemur: exerceamus interim iustitiam ipsam, si quam adhuc habemus, & augmentũ eius assequemur: & ipsius etiam confirmationem impetrabimus. tamen & hoc nõ ob stante, dicimus nos hæc nihilo minus petere, & debere petere, præuidentes periculũ, in quo sumus: cum priusquam assequamur iustitiam Dei, & ipsius augmentum mereamur, aut confirmationem impetremus, mo ri valeamus: non enim defendentes negligẽtiam nostram, aut excusantes, vt ille, qui ta lentum abscondit, hæc petimus, sed fassi fra gilitatem nostram, & possibilem humanam peruersitatem timentes, ad ipsum quales, quales sumus recurrimus, nihil iniquũ aut

non

non decens petentes, ſed id ipſum tantum, quod in promiſſis ſuis ipſe declarauit, aut indicauit nobis eſſe neceſſariũ, nempe cor nouum, & ſpiritum nouũ, & bonum vſum gratiæ ſuæ: vſque in finem a quo enim feruorem, & diligentiam habere poſſumus, ſi non ab ipſo, qui pręcipit, habeamus? qui & ſolus dare poteſt, & nonnullis promittit, & qui vocat, dicens, Eme a me aurum ignitum. Apo. 3. d. Accedimus, vt ſumus pauperes, frigidique, vt ignitum aurum ex ipſo capiamus: ſic & Eccleſia orat fidei, ſpei, & charitatis augmentum, & deuotionem, & alicubi etiam, vt Deus etiam rebelles ad ſe voluntates conuertat: quod cũ ipſe Ezech. 20. e. f. aliquibus promiſerit, nobis quoq; ſpem facit, id vt petamus: præſertim qui etiam dicat, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Matt. 11. in fi.

Rurſus non videtur ſufficere paruus in hoc feruor, & diligentia, eo ſaltem tempore, quo nos Deus viſitat, quo quidem tempore magno ſumus in feruore: id temporis ſi nos hoc non feruide petimus, magna in culpa ſumus: dignique ſumus, cũ non feruide

uide oramus non exaudiri: neque hoc obſtat, nam cũ in illo feruore ſumus, hoc præcipue omnes oramus, ſi non verbis, certe re ipſa, & affectu: quid enim tunc aliud magis volumus, quam Dei nos eſſe totos, & ex toto? quare ſi hoc ad impetrandam iuſtitiam, & perſeuerantiam aliquãdo feciſſe ſatis eſt, vix quiſquam inuenitur, qui id aliquando non fecerit, cum tamen ſufficere non videatur, quia cum feruor ille decedit, quodam modo petita retractamus: id quod Deus videtur attendere, quia non inconſulto feruore, ſed libera id tunc agimus voluntate: itaque ſi conſultum nobis vult, vt ſperamus, neceſſe eſt, vt modicos noſtros conatus nõ contemnat, ſed probet, vt fiant auctiores.

Rurſus, paruus in hoc feruor, & diligentia non videtur ſufficere: nam ſi vel vnus ex non electis ſaluaretur, totus diuinus ordo turbaretur: quare promiſſiones de ſalute quorundam, quaſi coacta. Ezech. 20. lucæ 14. non decet ad alios ſine magna cauſa prorogare: ſed hoc in caſu noſtro non obſtat, in quo prę ſupponimus Deũ velle omnes homines ſaluos fieri, atque ideo nemini clauſiſſe aditum regni cælorum, nemini impoſ-

ſibilem

ſibilem ſalutem feciſſe: nam etiam quod nõ electis Deus non decreuerit dare donũ perſeuerantiæ, non propterea tamen decreuit eis illud nõ dare: quare non frigide eam petentes impetrabunt, quia regnum cælorum vim patitur: neque tamen omnem poſſibilem vim, & maximam expectat, cum exorabilis ſit Dominus, & nouit figmentum noſtrum, & quam facile, aut procraſtinemus, aut a labore ad requiem recurramus.

Rurſus nõ videtur paruus in hoc feruor ſufficere: nam cum Dominus ſæpe dicat, Multi ſunt vocati, pauci vero electi, quid aliud dicit, quam ne quis ſperet priuilegia, cum ea electorum tantum ſint? ſibi autem non eſſe decretum aliud non electis dare, quam quod vocatis, & non electis datur? Satagat bonis operibus quiſq; certam facere ſuam vocationem, & rem non cupiat alienam: dedecet enim Deum rumpere ordinẽ ſuum ſine magna cauſa. Itaque Matt. 20. dixit, Tolle, quod tuum eſt, & non eſt meum dare vobis: quod ſi in Cananęa non ſeruauit, ideo fecit, quia magna illius fide quodammodo victus, ac vim paſſus non potuit ſeruare regulam. Matt. 15. qua tenebatur

gentes

gentes non respicere: casus autẽ noster est, vbi paruus est feruor.

Sed neque hoc obstat, nam aliud est petere locum electorum, aliud est petere auxilium efficax ad faciẽdam certam nostram vocationem. Dices, & hoc est electorum, eis enim datur non modo gratia, & bene uti posse gratia, sed etiã bonus vsus gratiæ vsq; in finem. Respondeo, electis id etiam non petentibus datur, aut etiam, si petitio necessaria est, datur eis & ipsa petitio, fitque vt petant: non electis autem datur petentibus & credentibus id sibi posse dari: neq; enim qui dixit, Petite, & dabitur vobis, ab hac seu promissione, seu enunciatione exclusit aliquos, aut exclusit petitionẽ iustitiæ, & perseuerantiæ, & gratiæ, & boni vsus gratiæ vsque in finem: neque quod non decreuerit non electis aliud dare, quam quod decretũ sit nõ electis dari, propterea decreuit aliud eis non dare, & se sua libertate, & liberalitate priuauit.

Sed & etiam quęro, an qui traditi sunt in reprobum sensum, quorũ oratio est execrabilis, & vertitur in peccatum, possint iustitiam, & perseuerãtiam impetrare. Et dubiũ

est

est eos, quoad in eo sunt, impetrare, aut quos Deus dicat, se non exauditurũ. Prou. pri. eo quod culpa eorum factum sit, vt traditi sint in reprobum sensum, noluerunt benedictionem, elongata est ab eis. Psal. 108. Sed quamuis meriti sint, ne exaudiantur, tamen quia sceleribus suis facere nõ potuerunt, neque possunt, quin Deus, si velit, eorum misereatur, impetrare & ipsi iustitiam, & perseuerantiam poterunt: & impetrabũt si non dum tam reprobi facti sunt, vt amiserint fidem, quam in hoc petendo exerceãt. Nam & si Deus aliquãdiu sit eos irrisurus, non tamen cogitur eos in perpetuũ irridere: sicut patres possunt filios, qui causas ingratitudinis commiserunt, exhæreditare, non coguntur tamen eos exhæreditare. An nitendum quidem est omnibus, vt iustitiã & perseuerantiam obtineamus: neque procrastinandum, vt si quidem non sumus feruentes, simus saltem frequentes: nulloque tempore absque hac prece simus, cum nisi illis impetratis salui esse non possimus. Sed vt hoc faciamus, & diligenter faciamus, prę latorum, & prædicatorum diligentiæ relinquitur: quamquam tam facti sumus in hac

re

re tardi, ne dicam amentes, vt neque vlla eloquentia, aut auctoritas satis sit ad nos excitandos: quare vota facienda sunt, vt Deus ipse opportune, & importune nobiscum agat, neque nos sinat torpere tam diu: nam quantum ad nos attinet, eo quod arcta sit via, quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam, & quod per multas tribulationes opor teat nos intrare in regnum Dei, neq; aliunde, quam per Christum, & iustitiam, quæ ex fide ipsi⁹ est, sit nobis ingressus ad Deũ, fit ut pauci spem veram concipiãt, qua pro rei dignitate, vtilitate, & necessitate laborent: sed uel arctam viam horrentes, vel im possibilem sibi ipsam putantes, cum didice rint male viuere, desperant, & sese immunditiæ tradunt. Eph. 4. e. alii vero ne desperent, ita confidunt, vt minus sperent, id est vt spem non a Domino, sed a se sibi ipsis fabricatam concipiant, nempe omnem iustitiam, atque ipsam salutem in sola fide constituentes, qua fide putant fieri, ut sibi non imputentur peccata, & se pro iustis apud Deum haberi, etiam cum maxime sunt iniu sti. Alii uero, qui vt cunque norunt, quod si ne bonis operibus ad salutem peruenire

non

non poſſunt, certis ſuis operibus, & iuſtifi cationibus contenti, & ipſi latam viam ingrediuntur, non quidem viam aperte iniquorum, ſed non ſecundum Deum iuſtorum, humana,ſcilicet quadam iuſtitia, qua cum ſibi ipſis, & aliis quibuſdā hominibus placeant, ſibi ſpem faciunt. Alii vero operi bus quidem arctam viam ingrediūtur, non eam tamen, quam Chriſtus oſtendit, ſed quam ſibi ipſi finxerunt, aut quam a falſis prophetis non attendentes decepti ſuſcepe runt: nam ſæpe in mundum pro verace aliquo uno propheta ſexcenti falſi veniunt,vt fruſtra multis propheta bonus miſſus uideri poſſit:prophetæ enim veraci, quia non loquitur nobis placentia, plerunque aut reſiſtimus,aut prorſus fidem nullam habemus: falſis vero, & quia multi ſunt, & quia, quæ nobis placent,loquuntur, facile credimus: neque ſecundum Chriſti mandatum attendimus,vt ex operibus eorum cognoſcamus eos: quare pauci omnino ſunt, qui rectam ſpem habeant ſuæ ſalutis: id autem apparet ex eo, quod pauci ſe ipſos ſanctificant, cum qui rectam ſpem habent, ſanctificent ſemetipſos 1. Io. 3. Itaque ſpe ſua multi

con-

cõfunduntur,ſpes enim impiorũ perit. Pro. 10. quia Dominus eorum venit hora, qua non ſperant, id eſt contra eorum ſpem, qua hora ſperant ipſum non venturum, qua audiunt, Non noui vos: diſcedite a me operarij iniquitatis.

Hactenus hac parte his, ſi qui forte ſunt, quibus perſuaſum ſit modicam diligẽtiam, modicunque feruorem, ſi frequenter adhibeantur, ad impetrandum iuſtitiam Dei, & perſeuerantiam ſatis eſſe, dictum ſit, vt ſi nõ feruentes, ſaltem frequentes in his petendis eſſe velint, & ſint. His autem, quibus hoc non eſt perſuaſum, ſed & pro ſalute propria, quæ gloria Dei eſt, cupiunt non modo non fruſtra, ſed & cum laude laborare, quid ſit agendum, dicemus in ſecunda parte.



Iximus in prima parte ad impetrandam iuſtitiam Dei, & perſeuerantiam, etiam modicam diligentiam, modicunq; feruorem ſufficere, modo frequẽter adhibeatur. Veruntamen ſi hoc nobis nõ perſuaſimus, ſed neceſſariam eſſe diligẽtiam magnam, feruoremq; non exiguũ, neq; tamen nobis id adeſſe, neq; noſtris conatibus nos aſſequi, vt in hoc bene ſimus diligẽtes, & feruidi; videamus iam nunc quid agere poſſimus ac debeamus, vt ad congruã diligentiam, ac deuotionis feruorem perueniamus, quibus iuſtitiam & perſeuerantiã priuſquam morte præueniamur, impetrare valeamus, ac impetremus: &, vt mihi quidem videtur, quærendus eſt nobis doctor, qui rectam viã norit, eamq; nos doceat, ac per eam nos ducat, atq; perducat: neq; nos permittat aſperitate viæ deterreri, aut longitudine defatigari, ſed lumen, & vires, & bonum animum nobis faciat: neq; item reſtitantes, aut retrocedentes deſerat, ſed neque puſillanimitate, neq; infirmitate, neq; peruerſi-

peruersitate nostra defatigetur, aut indignetur, quin reuocet nos, & in viam bonam reducat, atq; perducat. Nam alioqui, præter quam quod interdũ nonnulli sunt pseudo doctores, qui vel viam ignorant, vel studio in malam impellunt, etiam boni, qui rectá viam norunt, & nos eam libenter docent, nosq; per eam ita deducunt, vt, nisi per nos stet, etiam & perducant, nihil, aut parum agunt, nam nimis facile per nos stat, quare & paucorum est perseuerantia: vt quærendus nobis doctor sit, qui possit facere, ac faciat, ne per nos stet, quo minus nos deducat atq; perducat. Hunc vbi inuenerimus, dem⁹ illi nos ipsos totos, & ex toto, & quid quod possumus agamus, vt ei in nobis plenum sit ius atq; arbitrium, nobisq; amplius nullum sit resiliendi ius, quod quidem non difficile fit. Sed illud in periculo est, quod quamuis ius nobis non reliquerimus resiliendi, de facto tamen possumus resilire: quod quidem facillime facimus a carne, a mundo, Satanaq; vrgente seducti, aut allecti. quare inueniendus nobis doctor est, cuius manũ, ne de facto quidem, possimus euadere: & preterea etiam quod ita potens

ſit: quia tamen poteſt nos obſtinatos cōtemnere, ac ſinere nos abire, ne ipſe noſtri indigere videatur, inueniendus eſt, qui mitis ſit, & humilis corde, qui nec obſtinatos quidem nos dedignetur, ſed ad ſe, & ad ſuum honorem ſalutem noſtram velit pertinere: ita vt non ſinat nos de iure, aut de facto fauori noſtro renunciare, neq; ſinat nos poſſe amplius facere, quin ipſe noſtri, quos ſemel receperit perducendos vſque in finem, miſereatur, ac in regnum perducat.

Talem doctorem, ac vię ductorem quærere videntur, & quærunt illi præcipue, qui religioſos conuentus ingrediuntur, proprięque renunciant voluntati, ac poteſtati, omnemque ſui poteſtatem faciunt prælato, vt ſe vel inuitos in viam ducat, & retineat, atque per eum tandem a peruerſa libertate recedant, & in bonam veniant, & in ea perſeuerent: norunt enim ſuam inſtabilitatem, & carnis peruerſitatem, quæ ab arcta via multum abhorret. Veruntamen quia prælatus ille homo eſt, qui etiam quod de iure, & de facto ſubditos etiam in carcere habeat, tamen nō poteſt cordibus eorum dominarij, quin, quod externe rectam viam tenere videantur,

deantur, in corde tamen ab ea absint quam longissime: ita vt nō nulli desperātes ad viā latam reuerti posse, se ipsos interimant, ne scilicet arctę viæ labore, quam odisse cœpe runt, affligantur: peruenturi erant ad salutē sub ducatu prælati, si per eos nō stetisset. & de principio quidem fecerunt quantum in ipsis fuit, ne per eos staret, nam volūtatē suam & libertatem prælato, tamquam Dei vicario ac ministro donauerunt: sed tamen, quia prælatus, cum homo tantum esset, facere non potuit, aut non sciuit, aut non voluit, quin per eos staret, forsan periere.

Equidē vnic⁹ magister est Christus. Mat. 23. huic sese dant, qui religioso prelato, huius vicario dāt: & nonnulli metu ac spe, qua supra dicebamus, sese dāt: ipse vero cū non tantum homo sit, sed & Deus, hoc præstare potest, sed an si nos ei vel per ingressum religionis, vel aliter nos ipsos dederimus, sit prestatur⁹, incertū est: nā quāuis ipse petat, vt nos totos sibi cōmittamus, tamen ꝓfiteri videtur nō prestaturū, quin si volumus recedamus. ait. n. si vis ad vitā ingredi, serua mādata & dans mādatū de ꝑseuerātia Luc. 21. in fi. iubet, vt id die ac nocte orem⁹: indicās

 se non

ſe non facturũ, vt perſeueremus, ſed noſtri eſſe longi laboris, vt id a patre impetremus, de quo quis ſibi ipſi aliquid certi ꝓmittat, cum neſciamus, quam hodie precem facimus, an cras eam ſimus facturi. itaq; etiam in hac re ipſum met orare profuerit, faciat, vt etiam precem hanc vſq; in finem fideliter faciamus: ſed an ſit nos exauditurus, incertum eſt, nam ipſe per prophetas, & apoſtolos ſuos ait. Abac. 2. in fi. ad Heb. 10. Ezec. 33. Iuſtus meus ex fide ſua viuit, quod ſi ſe ſubtraxerit, non placebit animæ meæ, & omnium iuſtitiarũ eius obliuiſcar: & ſi permanſerimus in fide, & ſi compatimur, & cõregnabimus, ſi negauerimus, & ille negabit nos. 2. Timo. 2. 6. & quamuis dicat, Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum, & faciã, vt in præceptis meis ambuletis. Ezech. 36. e. & ſcribam legem meam in cordibus eorum. Ierem. 31. & timorem meum dabo in corde eorum, ne recedant a me. Iere. 32. g. & ita quamuis multa vt Deus faciat, ne per nos ſtet, tamen quia non omnes obediũt euangelio, non omnes acceptant cor nouũ, & ſpiritum nouum, neq; omnes, qui acceptant, retinent, neq; quod timore Domini

prohi-

prohibeãtur diſcedere a Domino; fit,vt nõ aliqui reiecto dei timore,ad prauitates ſuas reuertantur, & diſcedant a Domino: quia Dominus quidẽ dat multa, & facit multa, vt in pręceptis ſuis ambulem⁹, noſq; trahit. Veruntamen quia arbitrium nobis non aufert, relinquitur nobis poteſtas recedendi, etiam quod noſtram poteſtatem nos totam in baptiſmo Deo dederimus,conſcij noſtræ infirmitatis, & inconſtantiæ. Nam cum baptizari volumus, interrogati quid ab eccleſia petamus,reſpondemus, fidem,id eſt dari nobis ab eccleſia Dei fidem in nomine Dei, qui ſcilicet Deus promittat ſeſe noſtrũ fore patrẽ, & rectorem. Interrogati autem quid præſtet fides; reſpõdemus,vitam æternam, ideſt ad hoc petimus nobis dari fidẽ, vt ſcilicet Deus promittat ſe rectorem noſtrũ fore in vitã ęternam, ideſt nõ tãtum ad tempus, ſed ad vitam æternam: & cum ſacerdos dicit, Hæc eſt vita æterna, diliges Dominum Deum tuum &c. hoc eſt quod volumus, nam ad hoc baptizari volumus, vt hanc dei dilectionem recipiamus.

Et tamen non omnes, qui baptizantur, ſalui fiũt; neque qui ſemel gratiam habuit,

omnis ſaluatur, quod eſſet, ſi Dominus pro mitteret, vt dicebamus: non enim eſt iuſtitia in vllo, qui non ſeſe totum Deo committat, ac donet. Vnde ſignum eſt ipſum Dominum Ieſum non ſuſcipere nos regendos, niſi ſub conditione diligētiæ noſtræ, idque etiam expreſſa declarat tota lege. Itaque 2. Timo. 2. B. dicit, Si ſuſtinebimus, & conregnabimus, ſi negauerimus, & ille negabit nos. & Chriſtus ipſe dicens. Luc. 9. c. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me: nempe, quia vt ipſe idem dicit Luc. 14. e. alioqui nō poteſt meus eſſe diſcipulus, & Matt. 10. d. non eſt me dignus. & non dicit, ego faciā, vt abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam. & quamuis Matt. 11. in fi. dicat, venite ad me omnes, & ego reficiā vos, quod eſt quidem vires, & refectionē dare, qua poſſimus abnegare nosmetipſos, & crucem ipſius tollere, & ipſum ſequi, nō dixit, & ego ſic vos reficiam, vt etiā faciā, vt abnegetis vos ipſos &c. ſed ait, Tollite iugū meū ſuper vos, & diſcite &c. in eo autem, quod ſubdit. Iugū meū ſuaue eſt &c. indicat quidē a ſumpta refectione ſua facile nobis fo-

re

re tollere iugum suum super nos, quod est nos ipsos abnegare, & tollere crucem, & ipsum sequi, sed nō propterea dicit se facturū vt tollamus iugum suū super nos, & sequamur se. Quare ex ipso quidem sperare possumus gratiam, & auxilia, quibus possimus perpetuo ipsum & facile sequi, sed efficaciam non promittit, vt gratiam quidem ab ipso speremus, bonum autē vsum gratiæ a nobis non tamen absque ipsius auxilio, sperandum nobis arbitremur & ita si per nos non stet salui omnino futuri simus, per nos autem facile stare potest, quando ipse non promittit facturū se efficaciter, ne per nos stet, neq; quod nos maiore id est efficaci cura indigeamus, ipse promittit sese efficacem curā adhibiturum, quia scilicet vult nos esse liberos, & posse renūciare fauori nostro.

Itaq; & Luc. 19. flet super ciuitatem, nempe quia illi maius auxiliū non ferat, quam quod sit decretum a patre suo. itaq; exigens a nobis Dominus, vt nos ipsos abnegemus, sibique nos dedamus, ne velle putetur, aut velit nobis non superesse de facto potestatē amplius retrocedēdi, propterea q; videatur promittere sese facturū, ne recedamus a se,

aut

aut quod recedẽtes,sit ipse rursus ad se nos reducturus,ita vt non sinat nos in contumacia, & peccato decedere, aperte gehennam minatur his qui de facto recesserint. idque iure optimo, nam siue nos ipsos ei demus, siue non demus, velimus, nolimus, sui sumus, quare si nos ipsos sibi damus, non tenetur aliquid propterea promittere aut dare: sed pro sua & libertate & liberalitate erga nos facit, quod facit, quare & iustitiæ & misericordię suæ satis est si recedentes,quia primam fidem irritam fecerimus, in ęternũ nos puniat, aut mitius agens rursus nos ad pęnitentiam vocet, & aliquandiu nos expectet, aut etiam flagellis prouocet ad redeundum, obstinatos autem ad extremum relinquat,&ꝓ merito nostro malo nos damnet: sic enim ipse ait, Qui se subtraxerit, non placebit animæ meæ. Abac. 2.ad Heb. 10.g. Non enim vult, vt nos sibi totos committamus, atque credamus, quia ipse nostri indigeat, sed id vult, quia nos ipsius ductu, & gubernatione indigemus: quare nõ iniuria sit permissurus,vt nos fauori nostro renunciare valeamus, præsertim cum nemini dubium esse debeat Deum liberum

semper

ſemper eſſe,vt cui⁹ velit miſereatur, & quẽ velit induret. Ro. 9. Neq; obſtat,quod ipſe iam declarauerit, quorum velit miſereri, nempe filiorum noui teſtamenti, promittens ſe facturum, & curaturum, vt legem ſuam ſeruemus. Iere. 31. 32. Ezec. 36. e. nam id promiſſum eſt populo, & non vnicuique de populo, niſi paucis quibuſdam electis. Itaq; populum noui teſtamenti, abſque dubio Deus ſaluum faciet neque pecca ta, & rebelliones ſingulorum faciunt, quin Deus ſaluet populum ſuum, cum eorum nonnullos magna vi retineat. Ezec. 20. e. & reliquias ſibi ſeruet. ad Ro. 9. ex quibus pro pagentur illi, quos in locum deficientium ſubſtituat, quoſdam etiam & vocet, & com pellat intrare. Luc. 14. Quam ob rem vnicui que dicitur. Apoc. 3. c. Tene quod habes, vt nemo accipiat coronã tuam: & quia ex la pidibus Deus poteſt excitare filios Abrahę.

Neq; item, quod ad Gala. 3. dicitur, Per fidem accipimus pollicitationem ſpiritus, obſtat, nam incertũ eſt an id dicat Apoſtol⁹ de ingreſſu in populũ Dei, quia ſcilicet cre dẽtibus detur poteſtas filios Dei fieri. Ioan. 1. an loquatur de acceptione pollicitationis ſpiritus,

ſpiritus, quæ dicatur facta vnicuiq; credēti, vt fide aſſequamur promiſſiones pro ſe quiſque tamquam ſingulo cuique de populo factę ſint. nam in primo caſu, quamuis magnū bonum ſit eſſę in eo populo in quo eſt ſpecialis protectio a Domino, non tamē certū eſt an facturus ſit Deus, vt vſq; in finem hic & ille noſtrū in bono perſeueret. In ſecundo caſu, qui certus eſſet de ſe ipſo habuiſſe ſe fidem a Domino, de promiſſionibus ſibi eſſe illas ſpecialiter faciēdas, & per eam ipſam fidem eas tamquam ſibi vtiles ac neceſſarias voluiſſe ſe, & acceptauiſſe, certus eſſet ſe eſſe vnum ex electis, aut tamquam vnum ex electis tractandum eſſe: ſed quoniam incertū eſt, quid ibi Apoſtolus ſenſerit, incerti ſumus, quid per acceptionem pollicitationis ſpiritus aſſequamur præſertim: cū Apoſtolus videatur ſentire tantū de primo, nempę fieri vnum de populo, & non vnum de ſingulariter electis, cum ad Heb. 6. talibus dixerit, Cupimus vnumquemq; veſtrū eandem oſtendere ſolicitudinem ad expletionem ſpei vſq; in finem, vt non ſegnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabunt promiſſiones. & ad

Heb.

Heb.10.in fi. Vobis patientia neceſſaria eſt, vt facientes voluntatem Dei reportetis pro miſſionem: & id pręſertim, cùm vix quiſquã in ſpem electorum accipiat per fidem pollicitationem ſpiritus, paucique in eam ſpem ſeſe Chriſto credant: quia nemo, aut omnino pauci ſunt, qui ſi ſeſe Chriſto credãt, putent fore, vt non vmquam relinquantur: ſed pleriq; omnes credunt, ſi vmquam a bona cõſcientia, aut fide receſſerint, fore vt relinquantur, & non niſi cum pauciſſimis aliter fiat, idq́; cũ illis fieri non fide illorum, ſed libertate Domini, qui quorũ vult miſeretur.

Pręterea, & qui credunt, verum eſſe eos, qui ſeſe ſemel Chriſto in totũ credũt, numquam eſſe a Chriſto, etiã quod millies defecerint, relinquendos, nõ omnes tamen volent ſeſe Chriſto in totũ credere, ſed cõmunem viã volẽt ingredi: aut etiã quod velint ſemetipſos totos credere, tamen procraſtinant, veriti ne duriuſcule a Dño gubernentur, qui caſtigat omnẽ filium, quem recipit. Heb.12.& aſſiduat illi flagella. Eccle.30. nẽpe quod ad gloriã ipſius Dñi pertinere putãt nõ peccare eos, quos ipſe in ſuã fidẽ curãdos receperit, atq; ideo nõ ſit eos vmquã

permiſſu-

permissurus valde libere agere, nisi forte cũ flagello his opus esse videt ad superbiã inclinatis: tunc enim forte liberius eos agere sinit, vt cadentes humilientur, & flagella nõ recusent, sed libenter ferant. itaq; id metuentes procrastinant homines, sicut qui discere difficilem aliquam, atq; egregiam artem volunt a perfectissimo præceptore, qui nolit docere nisi eos, quos in carcere prius receperit, neq; ante perfectionem, aut detectam impossibilitatem sit permissurus discedere. Nam quamuis multi eam artem, seu scientiam optent, pauci tamen sunt, qui nõ procrastinent, & nõ multas nectant moras, antequam ad prçceptorem illum accedant, prçsertim si certi sunt, aut credũt prçceptorem illum omni tempore ipsos esse suscepturum, tantumque expectare ipsorum consensum, atque accessum.

Nunc quæro, qui periculum metuit, & prudenter putat sese eo insaniæ peruenire posse, vt quãdoq; velit a Christo recedere, aut ita tepescere, vt negligat, & talentum abscondat, aut amittat, atque iccirco sese Christo velit credere, & credat, ne Christus ipsum vmquam sinat insanire, aut tepescere, sed

re,ſed vel ſemper in officio retineat, vel in-ſanientem,& obſtinate recedentem, aut te-peſcentem corripiat, & in viam reducat. an ipſum deceptũ iri ſpe ſua veriſimile ſit; finge eũ vocanti Domino dicere. Ego me quidem tibi Domine totum credo, & committo, idq; facio, quia id tu petis, & quia id debeo, qui tuus ſum, neque me, neq; aliud tibi, aut voluntati tuæ præferre debeo.

Item, & quia id mea maxime refert ad gloriam tuam: nempe quia me ipſum regere neque ſcio, neque poſſum, neque quod per gratiam & auxilia tua id ſciã & poſſim: propterea fit, vt id, quod norim, & poſſim opere etiam ſemper adimpleam: cum plerũque fieri poſſit, vt quod hodie volo, cras nolim: quare me tibi etiam ob id ipſum cõmitto, vt facias me ſemper bonum velle, ac facere: neque enim meliorem me ſemper futurum credere debeo, aut poſſum illis, qui fructum vineæ negauerunt, qui ad cœnam, aut nuptias venire contempſerunt, niſi tu me facias efficaciter multo meliorem. Nam ſæpe tu mihi das voluntatem bonam, ſed quia ſimul voluntatem carnis meæ non in totum reprimis, fit vt voluntati carnis meę,

magis

magis quam voluntati bonę tuę, quam gratiose in me facis, obediam: quod ne amplius vmquam eueniat, mihi opus est, des velle, & perficere pro bona volũtate tua erga me, quam a voluntate mea, aut carnis meæ vinci numquam permittas: quare conscius infirmitatis, inconstantię, & possibilis peruersitatis humanæ, a quibus me abesse, aut perpetuo absuturum esse, affirmare nõ possim, spe dilectionis, & diligentiæ tuę ad te, & vt puto à te vocatus venerim, tibique me ipsum, vt cunque tamen, dederim.

De hoc ipso homine quæro, qui se totũ Christo dedit sub illis verbis, & cogitatione periculi, de quibus dicebamus, an Christus ita eum recipiat, vt non sit permissurus illũ recedere, aut perire. Hoc autem quęro, quia si probari poterit Christum ita illum recipere, nos non modo ex debito, sed etiam hac ipsa bona, certaque spe salutis non amplius procrastinabimus, sed horis omnibus annitemur id agere, vt aliquando tandem ex veritate nos ei totos, & ex toto dedamus sub ea cogitatione periculi, de quo dixim⁹: quod interdum non est difficile, sed sæpe etiam fit, nempe cum præuenti aliquo feruore

uore deuotionis ſumus, quãquam incertũ eſt an tunc acceptemur, an Deus expectet, quod poſtquam feruor ille deceſſerit, cogitemus, & propoſitum ratificemus: nam & cum nos totos reſignaſſe, & Deo nos commiſiſſe putamus, poſtquã calor ille deceſſit, aut refrixit, ſtatim, ſi quid agendum eſt, excuſamus, & aliud quiddam nobis mandari cupimus, aut noſtrę nos voluntati permitti. Quare annitendum eſt, vt non modo inconſulto calore, ſed certo iudicio, nos ipſos Deo totos credamus: idque orandus ipſe Deus à nobis eſt, faciat, vt nos perfecte, & ex animo ſibi dedamus.

Hoc vbi fecerimus ideſt cum nos ei totos tum ex debito, tum ſpe vitandi periculi dederimus, puto nos ſuſcipi, & pro electis haberi, etiam quod alioqui ex electis non ſimus. Moueor, quia promiſſiones Dei tẽpore Chriſti, & per Chriſtum erant exhibendæ, nam ipſe eſt, qui gratiam facit & veritatem. Ioan. pri. Lex per Moſem data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum. Gratia autem eſt illa, quę in ipſis promiſſionibus continetur, quæ ſunt, faciam, vt faciatis. Idem Dominus ipſe teſtatur dicens Ioan.

3. Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Dices. Vere Deus ad hoc vnigenitũ suũ dedit, sed hoc verificatur in eo, qui hoc vnigenito vti velit, & quatenus vti velit, non autem in eo, qui ab hoc vnigenito recesserit: nam subdit ibi Dominus: Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum ex quo colligitur: opus esse, vt quisq; sua diligentia vtatur, vt saluus fiat. Respondeo id quidem verum, sed ipse Dominus facit, vt qui credit eo modo quo diximus, sit etiam diligẽs: nam hoc est promissio. Ezec. 36. e Faciam, vt faciatis. Itaque & ibi addit Dominus, Qui credit in eum, nõ iudicatur. hoc autem fit, quia ita credenti datur, vt faciat, quæ necessaria sunt ad declinandam damnationem; & addit.

Qui autem non credit, iam iudicatus est, scilicet tũ ex peccato originali, tum ex actualibus, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei, in quo solo est salus. Act. 4. vt qui sit agnus, qui tollit peccata mundi, & qui

factus

factus est nobis iustitia ab ipso Deo. Pri. Cor. 1. in fi. Atque vt hoc sciamus esse verum, nempe, quod ob incredulitatem pereat mundus, addit, Hoc autem est iudicium mundi, quia venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quã lucem, erant enim mala eorum opera: omnis enim qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Ergo iudicium mundi in hoc est, non quod homines non viderint lucem, sed quod noluerint venire ad lucem, & ei sese credere, lux autem vera est ipse filius Dei. Ioannis primo. Ergo si homines ad hanc lucem venissent, eique sese credidissent, ipse, qui lux est, fecisset eos facere, quæ sunt necessaria ad salutem, & ita non iudicarentur, quando quidem datus est, vt omnis, qui credit in eum, non pereat: non ergo sufficit venire ad hanc lucem, & credere eam esse lucem, si qui ad eam venit, non etiam credit ei semetipsum: credere autem in eum est abnegare semetipsum, & ei sese tradere tum ex debito, tum in spem promissionum.

Dicés. Si hoc est verum, sequitur, nemi-

nem, qui vmquam iuſtificatus ſit, periiſſe,
nemo enim iuſtificatur, qui ſeſe totũ Chri
ſto non crediderit, & ſe ipſum non abnega
uerit. conſtat autem multos iuſtificatos fuiſ
ſe, & poſtea receſſiſſe, ac periiſſe. ad Heb. 6.
pri. Cor. 10. Reſpondeo. Ad iuſtitiam Dei
recipiendam ſufficit dediſſe ſe Chriſto ad
omnem obedientiam, imò & quia debe-
mus nos ipſos ei credere & dare, etiã quod
nihil ex ipſo ſperaremus, cum Deus ipſe ſit
Deus noſter, & nos creaturæ ipſius. Non
omnes, qui credunt in Chriſtum, ei ſeſe
dant in ſpem talium promiſſionum: nam &
ſunt, qui putant non aliud promitti, quam
auxilia, per quæ poſſint ad ſalutem perueni
re: quibus factum eſt ſecundum ſuam ipſo-
rum fidem, & non eis datum eſt plus, quã
quod crediderint ſe habituros. Atque ita
cum miſſus ſit, vt qui credit in eum, non pe
reat, ipſe ſecundum cuiuſque fidem facit ſic
ſolebat dicere, Secundum fidem veſtram
fiat vobis. Præterea etiam ex his, qui pro
miſſiones efficaces crediderunt, nonnulli,
quia non neceſſarias, ſed tantummodo vti-
les crediderunt, non acceptarunt, vt Petrus
dicenti Domino, Rogaui pro te, reſpondit,
tecum

tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire: ac ſi diceret, non opus eſt, vt pro me roges, ego iam in fide immobilis ſum: ita multi ſunt, qui in virtute ſua ipſorum confidunt: in ipſo autem Deo tantum fidant, quia norunt ipſum non ablaturum ab ipſis cognitionem & gratiam, niſi ipſi ſua ipſorum ſpōte relinquant, ſeq; vinci ſinant: & pręterea in eis, qui promiſſiones illas neceſſarias credunt, ſunt etiam nonnulli, qui in acceptando procraſtinantes perierunt.

Dices, & multi credunt ſe fide in Chriſtū abſque dubio fore ſaluos, & tamen hæretici ſunt, ac pereunt, quamuis Chriſtus, quia in ipſum credunt, curare debere videatur, vt ab hæreſi, & ab omni peccato diſcederent, quandoquidem ipſe datus eſt, vt omnis, qui credit in eum, non pereat. Reſpondeo. Hæretici, quo ad hæretici ſunt, fidem non habent, neq; prodeſt eis acceptare promiſſiones per falſam illam ipſorum fidem, cum eis nihil boni promiſſum ſit, ſed denunciatæ pœnæ, & ſupplicia æterna: quare cum non ab ipſo Deo: ſed a ſe ipſis talē fidē habeant, non mirum eſt quod pereunt, cum fides ſit donum Dei: ergo & qui credunt per fidem

Christi se saluos fore, etiam quod in hære-sim, & in omnia peccata cadant, & in ipsis decedant, cum de Christo aliud credunt, quam quod ipse credi de se velit: faciunt enim eum peccati ministrum, si in hoc erro re sunt pertinaces, hæretici & ipsi sunt, & veram fidem non habent: qui vero credũt per fidem in Christum se fore saluos, credãt Christum facturum, & curaturum, quo ip si iustificentur, & ab omni peccato discedãt & omnia faciant, quę necessaria sunt ad sa-lutem. in his si se Christo vmquam ex toto hac spe, fidemue dederunt, nemo potest af firmare Christum non esse facturũ id, quod credunt, sed permissurum eos perire.

Dices. Si nemo põt certo affirmare Christum non esse facturum id, quod credunt, sic nemo certo potest affirmare Christum id, quod credunt, esse facturum, id est sal-uos eos secundum illorum fidem esse factu rum. Respondeo. Fateor neutrum quisquã certo affirmare potest, quia nescimus an in spirata, & ab ipso Deo fide infusa, an ratio cinationibus humanis tantum comparata id credant: verisimilius tamen esse arbitror Christum non permissurum tales perire,

aut

aut certe difficilius permissurum, quam eos qui sic se ei non commiserunt: cum ipse libentius quid sit suæ bonitatis, quam quid sit humanæ fragilitatis, inconstantiæ, aut peruersitatis, attendat.

Non ergo obstat, quod supra considerabamus, nempe Christum non profiteri se facturum, vt faciamus, sed dicere, tollat crucem suam, serua mandata, & alia similiter: nam etiam ita per modum legis loquens, facit, vt electi efficaciter faciant, quæ sunt necessaria ad ipsorum salutem: quibus præceptis cum interiori stimulo facit, vt tollant crucem suam, & seruent mādata. Sic Ezec. 18. in fi. dicebat, Conuertimini, & proijcite a vobis omnes iniquitates, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum &c. & tamē Ezech. 36. dicit, Auferam a vobis cor lapideum &c. quare dicente Domino, conuertimini ad me, dicimus, conuerte nos Deus salutaris noster: & facite vobis cor nouum, dicimus, cor mundum crea in me Deus. Quam ob rem dicente Christo, tollat crucē suam, serua mandata &c. gratias ei agimus, quod per legem suam nos admonet officii nostri, & simul, vt secundum promissiones

 faciat

faciat nos tollere crucem noſtram, & mandata ſua ſeruare,petimus,& non diffidimus facturum, ſi nos ei ex toto dedimus, quin etiam:& quia non bene nos ipſos nouimus, ipſum rogamus faciat,vt nos vere ſibi totos demus,idque ipſum fuiſſe,aut facturum eſſe confidimus,de quo poſtea ſit dicendum.

Dices. Maius eſt a Domino Deo dari in cuſtodiam Chriſto, quam dare nos ipſos in cuſtoſtiam Chriſto, & tamen Iudas, qui in cuſtodiam datus erat Chriſto a patre,perijt nihilominus. Reſpondeo. Deus pater non ſic dedit Iudam Chriſto, vt etiam quod recederet, nihilominus eum Chriſtus recuperaret, & ſaluaret eum: nam Chriſtus teſtatur Iudam periiſſe,vt ſcriptura impleretur. Ioan. 17. non ergo Deus dedit Chriſto Iudam, vt contra ſcripturam Dei Chriſtus faceret: neque ipſe Iudas ſcriptura minas in eos, qui ſunt rebelles, metuens, ſeſe Chriſto in cuſtodiam dedit, nam Diabolus ideſt calumniator erat. Io. 6. in fi.

Sed dices. Scripſum eſt, vt qui Deum de relinquit, relinquatur ab ipſo Deo. 2. parali. 15. a. & qui negat, negetur. 2. ad Timo. 2. B. & in bono non perſeuerantes relinqui

Matt.

Matt. 24. Abac. 2. ad Heb. 10. in fi. quare Chriſtus, vt impleatur ſcriptura, relinquet, & negabit &c. Reſpondeo. Etiam ſcriptum eſt, petite, & dabitur vobis Matt. 7. Luc. 11. quare Chriſtus, vt ſcriptura impleatur, dabit eis, qui petierunt ab ipſo, ne permittat ipſos à ſe diſcedere, aut ſaltem ne permittat ipſos etiam quod diſcedere permittat, in ea diſceſſione permanere, præſertim cum id nonnullis concedat, qui id ab ipſo numquã petiuerunt, vt apparet in cæteris Apoſtolis, quos quamuis ab eis relictus & negatus nõ reliquit, aut negauit in finem: & quo tempore eos reliquit, non reliquit, quin prius eos patri ſeruãdos cõmendauerit. Io. 17. Quod ergo ſcriptum eſt, vt relictus a nobis Deus nos relinquat &c. nõ obligat ipſum Deum ita facere, quia liber eſt, & cuius vult miſeretur. Rom. 9. & nemo ei poteſt dicere, cur ita facis. Sap. 12. neque quod ipſe id ſe facturum minetur, alligat manus miſericordiæ ſuæ, quin præſertim his, qui petierunt, poſſit, aut velit miſereri: vnde nos noſtræ infirmitatis conſcij eius iuſta stimentes minas ad ipſum refugimus petentes, ne in ipſas incidere nos permittat.

Neque

Neque item obstat, quod Dominus ait Matt. 20. Nō est meum dare vobis, sed quibus paratum est a patre meo: non enim speramus dari nobis, quod nobis non sit paratum a Deo· à Deo enim paratum est, vt omnis, qui credit in Christum, non pereat, sed habeat vitam æternam, non inquam, petimus locum alienum, aut priuilegiatum, sed qui paratus est his, qui in Christū credūt, & qui per Christū petūt necessaria ad salutē.

Non obstat, quod dicitur Matth. 20. ex pacto conuenisti mecum: atque ideo negatur, quod supra pactum petitur: nam id verum est, cum credimus id nobis deberi ex laboribus, & non esse gratię, quod supra pactum datur, sicut illi putabant, qui etiam supra pactum mercedem esse suis operibus debitam cogitabant. pręterea nos nil vltra promissum petimus: promissum est, faciam, vt faciatis. Ezech. 36. & Dominus ait se missū vt omnis qui in ipsum credat, non pereat: periremus autē si non faceret, vt faciamus.

Neque obstat, quod quoddam peccatum in Spiritum sanctum non remittitur: nam aut in illud iam cecidimus, & nos eo peccato cœci facti, & impediti Christo nos ipsos

non

non damus, aut nondum in illud cecidim⁹: & tunc, quia ad hoc ei nos damus, ne ſinat nos in peccatum illud incidere, ipſe faciet, ne in illud incidamus: qui miſſus eſt, vt om nis, qui credit in ipſum, non pereat: qui pe rirem⁹, ſi in peccatũ irremiſſibile caderem⁹.

Neque item obſtat, quod petimus, ipſe faciat, quod ipſe nobis præcipit, vt faciam⁹: nam id ab ipſomet docti ſumus: qui Io. 4. dixit Samaritanæ, Si ſcires donum Dei &c. tu forſan petiſſes, & ipſe dediſſet. præterea nos ei dantes nos ipſos, nõ dicimus nolle fa cere, quę pręcipiat, neque petimus abſolui nos ab obſeruatione præceptorum Dei, ſed quia conſcii ſumus inconſtantiæ noſtræ, & bonitatis ſuæ, nos ipſos ei dantes petimus, vt ipſe ſecundum bonitatem ſuam, & promiſſiones ſuas faciat, vt recte faciamus, quę præcepta ſunt nobis neq; ſinat nos errare, aut contumaciter reſilire, ſicut ſupra diceba mus: vt dicente Deo, Conuertimini, non dicimus nos conuerti nolle, ſed dicimus, cõ uerte nos Deus &c. nempe quia docti iam ſumus ſpiritu, & ſacris litteris, & experientia, quam ſimus ad ea, quę Dei ſunt, a nobis ipſis inepti, & fragiles.

Non

Non obſtat, quod odioſa eſt quędam oſcitantia, vt cum data ſint nobis omnia, quibus facile, & cum gaudio præcepta facere poſſimus, & ad ea ipſa facienda ipſe nos hortetur, atq; impellat, tamen negligimus: quo caſu nimis iure videmur euomendi, & relinquendi non minus, quam cum malitioſe ſpiritui gratiæ reſiſtimus: nam & propter hunc metum nos ipſos ei damus, vt qui de nobis non confidamus, ſed putemus etiam in hoc tam magnum malum incidere poſſe: ac forte pluries conſcij ſumus nos in id incidiſſe, atque hoc ideo magis pœnitentiam agẽtes nos ei committimus, qui faciat, ne in id ipſum incidamus, aut ne in ipſo dedamus.

Non obſtat, quod ſic liberum arbitrium videamur amittere: nam per hoc liberum arbitrium non amittitur, ſed confirmatur, & ſolidatur.

Non obſtat, quod Chriſtus non propter ſuam vtilitatem, ſed propter noſtram vtilitatem petit, vt nos ipſos ſibi dedamus: ac propterea, ne cuique videri poſſit ipſum noſtri indigere, facile ſit permiſſurus nos abire, & fauori noſtro renunciare, ſicut & apoſtolis dixit. Ioan. 6. in fi. Numquid & vos vultis abire?

abire? non hoc inquam obstat; quia ipse nō principaliter propter nos, & propter nostrā vtilitatem, sed propter semetipsum, & propter gloriam suam, & patris sui nos regere vult: nam finis vilis esset omnipotẽtis, si nos actionum suarum essemus finis: & minor esset gloria eius, si vmquam eos relinqueret, quos, in fidem suam recepisset, præsertim dantes semetipsos etiā ob id ipsum, ne permittantur vmquam sic recedere, vt permittat eos perire.

Dices, & multos etiam sic finit abire. Sed numquid (oro) eorum aliquem, qui sese tradiderunt ei etiam ob hoc, ne vmquam permittantur sic abire, hoc te oportet probare, vt argumentum tuum aliquid valeat.

Postremo, si hoc non plene probauimus; tamen, quia, quod tantundem est, certi sumus nos iustitiam, & donum perseuerantię impetrare posse, multum ad ea impetranda valebit, si Christo nos ipsos ex toto dedamus: nam sic maiore fiducia iustitiam, & perseuerantiam petemus, & ipse facilius exaudiet. Certe ipsius Christi bonitas pro nobis si Christus nos rebelles repellere voluerit, non nihil allegatura, aut dictura videtur, ne

nos

nos repellat. De quo in tertia parte dicemus, in qua etiam de illo dicendum eſt, qui nondum ſeſe Chriſto dedit, ſed dare ſe illi velit.

Finis ſecundæ partis.



DIximus in prima parte, nos absque iustitia Dei, quę nobis inhæreat, & absque perseuerantia saluos esse non posse, & eas esse mera Dei dona, quæ nobis neque ex lege, neque ex merito operum nostrorum debeantur, sed tamen esse, quę possint impetrari. Veruntamen, quia ad eas impetrandas non illa ab omnibus diligentia adhibetur, quæ tantæ rei cōuenire videatur: quæsiuimus, an modica diligentia, & modicus feruor ad ipsas impetrandas sufficiat: & diximus posse sufficere, modo sit frequens.

In secunda vero parte, quoniā forte hoc non esset omnibus persuasum: quęsiuimus, an si quis se totum Christo dedat, non modo, vt tenetur, & vt qui iam sit emptus a Christo, & non sit amplius suus, sed etiam cogitatione periculi suæ inconstantiæ, & possibilis peruersitatis, an Christus eum ita recipiat, vt non sit permissurus ipsum in æternum perire, etiam quod ipse mutata voluntate velit ab ipso Christo recedere, aut

recedat. non autem quæsiuimus an iure a Christo relinqui possit, & perire: nec quæsiuimus, an ipse sciat, aut scire possit se totū & ex toto dedisse Christo: sed tantum quęsiuimus, si quis se totum Christo dederit, quisquis is sit, an eum Christus recedentē, aut recedere volentem sit permissurus in ęternum perire: non autem quæsiuimus, an sit eum permissurus peccare, nam permittere id potest etiam pro salute eius, quem saluandum receperit: sed quæsiuimus an Christus eum sit permissurus peccare peccatum ad mortem, & in ęternū perire: & diximus videri nobis Christum ita esse illum in fidē suscepturum, non modo vt multa faciat, ne ille pereat, sed efficaciter faciat, ne pereat in æternum.

Et rationis vis est in hoc, quod Christus in mundum veniens, & inuitans homines ad credendum, & committendum se ipsos totos ipsi Christo, videtur eis dicere. Vos recte regere vos ipsos neque nostis, neque valetis. Vos instabiles & inconstantes estis, & ignoratis, quæ Dei sunt, imo & stulta vobis videntur, & odio habetis vera bona: parentum vestrorum, ac vestris peccatis factū

est,

est, vt vobis ipsis pessime consulatis, nullo minore, quam ego sim, magistro, duce, ac rectore vobis opus est. Date ergo vos ipsos mihi, & ego in fidem meam receptos regã, & custodiam vos: sed ita vosmetipsos mihi date: vt propter me etiam vos ipsos odio habeatis: me sequamini, vos ipsos mihi ꝑ me ipso vendite, nam ego proprie pretium vestri factus sum, me enim ipsum dedi, vt vos ab ira iusta patris mei redimerem, & in libertatem sanctam assererem. Nunc autem volo vos emere a vobis ipsis, vt scilicet arbitriũ, quod de vobismetipsis habetis per me, illud ipsum mihi totum, & ex toto concedatis, neque vos ipsos per vos ipsos regere velitis, aut pręsumatis, neque velitis inani libertate liberos esse, quæ quidem inanis est, & perniciosa, quando per ipsam serui mei esse negligitis, aut non amatis. Hæc & similia Christus dicere videtur, cum nos ad sibi nos ipsos credendũ & dandum inuitat: quare si quis hæc ipsa per gratiam Dei considerans, consciusque malorum, & perditionis propriæ, & præsertim inconstantiæ, & volubilitatis suæ committat sese totum Christo, eique se totum det, vendatque: fiet, vt to-

tus Christi sit, neq; amplius iure, aut facto possit se (Christo non permittente) a Christi seruitute subducere: non iure, quia sponte sese in Christi perpetuum seruum dedit: non facto, quia Christus omnipotens est, neque quisq̃ est, qui possit effugere manũ eiꝰ. Sed quia dubium esse poterat, an Christus permissurus esset eum ad pristinam libertatem reuerti, ipse iccirco maxime se Christo dedit: quia credidit, aut saltẽ sperauit Christum non permissurum, aut non perpetuo permissurum, vt ipse perpetuo se subducat a tam vtili seruitute, sed facturum, & curaturum vt in ipsa permaneat. Nam neq; nos, cũ nos ipsos Christo damus, ius nobis, aut potestatem retinemus ab eius seruitio recedendi: quia id esset, non eorum, qui sese totos, sed eorum, qui partem dant: neq; Christus perpetuo, aut in finem permissurus videtur, ut nos quandocunque velimus ab ipsius seruitio recedamus, qui totos nos sibi petit: neq; tædio contumaciȩ nostræ, aut alia ratione consensurus videtur, vt recedamus: quia alioqui vanis nobis, atque fragilibus malȩ prospectum esset: nam facile per inconstantiam, & contumaciam nostram

fieri

fieri poteſt, vt reſiliamus, & inueniatur ini quitas noſtra ad odium, ob quam Chriſtus nos abiiciat: & magna quidem ratione, vt qui cõtumaciter nobis agentibus poteſt iure dicere, Nõ ego propter meã, ſed propter veſtram vtilitatẽ recepi vos mihi in ſeruos: nunc autem, quando beneficium meum nõ agnoſcitis, & dediſſe vos ipſos mihi in ſeruos vos pœnitet, recedite: neque iure, neq; poteſtate in uos vti volo, ne ſeruitio veſtro, quo mihi opus non eſt, egere videar: nõ ego ſemper litigare vobiſcum volo, neque inuitis, & non agnoſcentibus beneficia mea vobis conferre volo.

Sed talia Chriſto dicenti in refugam ſeruum, an Chriſti bonitas ipſa pro malo ſeruo, & ſeruitutem iam detrectante reſpondebit?

Tu mi Ieſu in mundum veniſti non miniſtrari, ſed miniſtrare: non quia tu perditorum hominum ſeruitio indigeres, ſed quia ipſi tuo, & ſalutari ſeruitio indigebant: eo quod illis præcipue opus erat in hac eorum inconſtantia, & inſtabilitate; cum ſint pluſquam phrenetici, quibus etiã inuitis beneficia obtrudi opus ſit, vt qui

interdum medicos tanquam hostes, medelas etiam tamquam venena refugiant, quiq; etiam quod semel, aut pluries sanati sint, & sananti gratiam habeant, eiq; sese totos cõmittant, tamen in eo sint fragilitatis, ac volubilitatis, vt facile ad phrenesim, atq; insaniam reuerti possint, & rursus medicum suũ odio prosequi, etiam ob id ipsum, quia eos quandam ab ea, in qua sibi ipsis postea placent, phrenesi liberarit: idque dum hic me tueret, qui nunc seruus malus, & contumax factus est, dedit semet tibi totum, neque sine magno labore, cum aduersus carnem, & Satanam, & mũdum repugnaret: neq; item sine dulcedinę spiritus tui, & gratię tuę, quibus ipsum ad id agendum prouocabas, vel prouocare videbaris, neque sine consideratione, & fiducia potestatis, sapientiæque, & bonitatis tuæ. Nam, quia te omnipotentem & sapientissimum, & optimum nouerat, sperabat te tua bonitate suas ineptias, & contumacias laturum & correcturum, neque pacta rescissurũ ob suas improbitates: & quia sapientia tua nosses ipsum ab insania ad sapientiam conuertere, & omnipotentia confirmare, & stabilire in bono posses, confisus

tua

tua, & poteſtate,& ſapiētia,& bonitate ſibi ipſi vim fecit, & ſeſe totum tibi commiſit: nam de ſe boni prorſus nihil ſperabat, ſed omne malum timebat, & hanc ipſam, qua nunc laborat, futuram contumaciam,& inſaniam metuebat: a qua ſibi non aliter caue re poſſe arbitrabatur, aut videbat, quam vt ſeſe totum tibi committeret, qui ad hoc ipſum faciendum, vt ipſe putabat, ipſum inuitabas: ſi vim ei afferre non vis, potes ipſum ſapientia tua ad ſanitatem reducere: ſi non vis blande cum ipſo agere, habes flagella, quibus eum corripias. Potes item ipſum ſinere ad tempus abire,vt ſuam expertus inſaniam, & admonitus calamitate, vt filius ille minor, humilis factus reuertatur:& ſicut tu tuis præcipis,vt vincant in bono malum,ita nunc tu vince in bono malum: dilige inimicum tuum, qui ſeruos tuos vis diligere inimicos ſuos: neque quod id pluries feceris, defatigeris,neque ſæpius admonitum,& nō obedientem velis pro ethnico,& publicano ipſum habere: ſed memineris,te plus poſſe, quam homines, & quod neque facile quiſquam ſeſe hominibus etiam bonis,ac potentibus, & ſapientibus commiſerit, ſicut tibi,

eo quod illos nórit posse defatigari, & tandem ipsum pro ethnico, & publicano posse habere. Tibi autem hic sese commisit, quia te nouerat, aut certe sperabat numquam in benefaciendo defatigari: vt qui etiam crucifixus, & occisus, omnibusque vexatus opprobriis, postquam resurrexisti, ipsis etiam crucifixoribus, & interfectoribus tuis pacē & salutem obtuleris, quamuis illi te numq̃ ante recepissent: hanc bonitatem tuam secutum, ac sperantem destitues ob eam ipsius contumaciam, quam quia ille futuram timeret, sese tibi commisit, & non magis vteris iure tuo? & eum ad sanitatem reduces? an hic forte si rursus factus fuerit sanus, & ad mentem bonam redierit, non tibi gratias aget? non beneficiū tanto magis agnoscet, quanto sibi etiam reluctanti datum fuisse intelliget? & tunc maxime datum, cum ipse sibi per malam suam phrenesim male consuleret, & mallet perire, quam sequi te, qui solus omnium vera & perpetua salus es? an hic forte nunc non phrenesi, sed peruersitate laborat, atque malitia? ac propterea ipse excludendus est, quia nouit, quid agat: cum tamen nemo non aliquo modo ignorans

rans peccet? An tu forte cum ipsum, vt se se tibi crederet inuitabas,& te illi rectorem ac pastorem bonum offerebas,casum contu maciȩ excipiebas, a qua plusquam ab aliis vllis rebus ei in peccatis concepto, & subdi to vanitati fuerat metuendum? an cum parentes eius recens natum in tuo nomine ba ptizari curabant, aliud magis timebant, quam ipsius arbitrium,si a te regendum nõ esset receptum?

Hæc bonitati suæ dicenti, quid Christus responsurus sit,aut respondeat,diuinare nõ possum. Consideranda tamen vidẽtur,quo nos facilius Christo in spem bonã committamus: nam certum est debere nos totos Christo committere, atque a parte nostra faciendum esse, & totis viribus annitendum, vt nos ipsos ei totos committamus, & tunc de salute nostra ob ipsius Domini bonitatem esse bene sperandum: quȩ quidem eius bonitas tum reliquarum rerum, tum huius periculi consideratione iugi oratione imploranda est: neque in hoc importuni esse vereamur: nam bonus Dominus in re tam necessaria, puto, nos non negliget, sed mitis audiet, atque exaudiet:

ſed quia non facile, ſicut debet ſic ſeſe quis Chriſto credit; veniamus ad aliam quæſtionem, & de eo caſu tractemus, qui frequentius poteſt occurrere.

Quæro ergo de eo homine, qui per gratiã, & lumen Dei agnoſcit debere ſeſe Christo credere, totumque committere; præſertim ſic petenti, & optat id quidẽ facere, ſed non plene facit, agnoſcitque, & fatetur peccatum ſuum, & ſe vel neſcire, vel non poſſe vel non ſatis velle confitetur, atque iccirco ab ipſomet Chriſto petit. Petit, inquam, vt Chriſtus ipſe pro ſua omnipotentia reſtitanti, & procraſtinanti quandam vim faciat, ꝓ ſua ſapientia ſuadeat, pro ſua bonitate perſuadeat, neque permittat ipſum diutius manere in tenebris, neque poſt aliquam lucem redire ad tenebras multo denſiores, atque ita Chriſto dicat. Fac Domine, vt me tibi totum credam, me tibi dem totum: nam iuſta petis, & quod tibi debeo, id mihi maxime vtile eſt, improbeque tibi repugno volenti me ſub alis tuis recipere, ac tueri, maleque mihi ipſi conſulo, malefacio: fateor peccatũ meum, oro qui tollis peccata mundi, qui Ieſus es, ideſt qui ſaluũ facis populum tuum

a pecca-

a peccatis eorum, aufer a me peccatum hoc, quo fit, vt me tibi ipsi non credam totum: vince in bono malum, fac vt me tibi dem totū. En volo memet totū tibi dare, sed quia non facio, & signum est me non plene velle me tibi dare, da tu qui potes, & facile potes: da mihi bonam in hoc, atque efficacem voluntatem, vt velim, & possim, & sciam me tibi dare, & efficaciter me tibi dem totum; quia me vni tibi, & nulli alteri debeo. Hic item & orationem Dominicam recitans, cū ad finem venit, vbi dicitur, sed libera nos a malo, subdit, præsertim ab eo ipso malo, quo factum est hactenus, & adhuc fit, vt me tibi totum non dū dederim, aut non dem totū.

De hoc homine quæro, quid erit, & quid sperandum de eo sit, an impetrabit: non aū tem de eo homine quæro, qui cunctis suis actionibus in contrariū tendit, vt aliud quidem verbis, aliud factis requirat, vt illi, qui fatētur se nosse Deum, factis autem negāt: nam talem aut non impetraturum, aut si impetrabit, flagellis, arbitror, adigetur ad facienda, quæ debet, cum ei dicere Christus iure possit, Cur mihi dicis, Domine, Domine, & nō facis, quæ dico? Luc. 6. Qui nihil

habet,

habet, quod iuste respondeat Christo: neq;
item de eo homine quæro, qui quæ potest,
omnia facit, vt Deo seruiat: verumtamen,
quia sibimetipsi in eo numquam satisfacit,
vt qui vereatur omnia opera sua, qui sancto
rum mos est, optat, petitque suscipi: & ita
regi ab ipso Domino, ac dirigi, vt Deus ip
se de seruo suo satisfaciat diuinitati suę. nā
facile huic arbitror, ac etiā cito pax veniet:
quia Deus ipse tales consolatur: quia bonis
operibus fauet: neque ad rigorem ea diiudi
cat, sed boni consulit, vt qui nouit figmen-
tum nostrum, & quam multa in nobis, non
nos, sed caro, & peccati fomes operatur:
quę quidem ipse nobis, cum inuiti, aut igno
rantes patimur, ad culpam non imputat:
cum nihil damnationis sit his, qui non se-
cundum carnem, sed secundum spiritum
ambulant.

Sed quæro de eo homine, qui non impie
viuit, nec perfecte iustitiam Dei sequitur, &
bonis operibus incumbens, quodamtenus
conatur, & annitatur sese totum Christo cō
mittere: nam huic si Christus dicat, Cur mi
hi dicis Domine, Domine, & non facis om
nia, quæ dico? respondere arbitror, hu-
militer

militer & bona cum fiducia & timore, Chri ſto poterit, & dicere, Icc irco te Dominum voco, vt facias me facere id, quod dicis, qui potes, & vides, quam ſim ad tua faciēda inhabilis, ſi non etiam & plerumque contrarius ac repugnans.

De hoc, inquam, homine quęro, an ſit impetraturus: nec quæro, an per iuſtitiam ſit impetraturus: nam iuſtitia totum cor, totā animam, vires omnes requirit, atque ideo huic repugnabitur, & id petenti, & orāti, ex iuſtitia reſpōdebitur, ac dicetur, Vtere talē tis, quæ habes: habes iam ab ipſo Deo poſſe te totū Chriſto cōmittere. Committe te illi totū, quid cunctaris? an nō te ipſum, & tuas ineptias Chriſto poſtpones? cur ergo prius quam in talento, quod tibi datū eſt, fidelis extiteris, vis tibi beneficiū, aut pręmiū dati? an forte Chriſtus ipſe tibi nō dedit adhuc, aut non ſufficienter dedit, vnde te ſibi dare facile poſſis? an eſt aliquid in mūdo, quod ei pręferendū ſit, vt propter illud cunćteris, & non te Chriſto des totū, in cuius cōparatione cūcta nihil ſunt? An tibi vim fieri vis? & tamq̄ inertē, ac ſtolidū verberibus vrgeri? aut tamq̄ delicatulū puerū blanditiis trahi?

an

an Dei bonitatem, & patientiã contemnis; & iram tibi comparas, petens ab ipso Deo id ipsum, quod ipse tibi, vt facias, pręcipit, & vt præstare posses; ipse tibi concessit, cũ ipse tibi simul cum præcepto suo dederit & posse implere præceptum, & agnoscere iustum esse, & tibi maxime vtile si adimpleas, & voluntatem túam ad adimplendum commouerit? cur ergo tu ipse repugnas tibi, & Deo? & Deum tibi uis hanc repugnantiam auferre, quasi Deus coactis, & non voluntariis seruitiis delectetur, aut ipse tã sit vilis, vt nemo illi volens sit seruiturus? Viluit tibi præceptum Dei, & Deus ipse tibi minor factus est ineptiis tuis, dignus es non qui audiaris, sed qui vapules. Surge quid stas; & non stas? proiice te in Christum, sume iugum eius super te: ne expectes, vt tibi imponatur, ne interim decedas, & inuĕtus absq; eius iugo pereas in æternum, aut certe magnis verberibus & calamitatibus ad subeundum ipsum eius iugum vrgearis: ne scilicet tibi & villa, & iuga boum, & vxor, & alia cara, quibus te detentum excusas, succensa ciuitate animę & corporis tui auferãtur, magnoq; cum dolore postea ac verecundia

venias

venias ægre, vel inter vltimos recipiendus: vnde parum glorifices, & magnifices Deũ, quem non volens, sed calamitatibus actus secutus videri possis, ac videaris.

Hæc & his similia, pluraque in hunc iustitia, & recta ratio dicere poterit: sed si nõ persuadeat, quæro an talis destituetur, eiusque despiciẽtur preces, & in peccatum etiã conuertentur: an aliquid etiam pro hoc ipso homine bonitas Christi apud ipsũ Christum sit allegatura.

Dicat ergo Christo bonitas Christi. Si tãtum redditurus vnicuique secundum opera sua in mundum venisti, oportuit omnes perire: nam digni erant omnes morte: si autem vt saluos facias eos, aut saltem vt mundus per te saluus fiat, non multum suffecerit inuitare homines ad te: vides enim inuitatos ad nuptias, & ad cœnam contemnere, aut excusatos haberi velle se, iuuenemque illum tristem abiisse, quia possessiones multas habebat: tristis quidem abibat, quia tecum esse cupiebat, sed tamen abibat, quia possessiones suas magis, quam te diligebat, vt qui te non adhuc pro tuo merito cognouisset: nam si thesaurum cognouisset, sua

omnia

omnia præ gaudio vendidisset, vt te consequeretur, tecumque expeditior esse posset: at tu illum abire permisisti, nec te illi quis esses ostendisti, & eum qui vestem nuptialem non habuit, eiecisti, & in contemptores vltus es. Et recte quidem: nam vsus es iure tuo, dignos supplicio condemnasti, præsertim cum iniustissime spretus, & posthabitus rebus caducis fuisses, quæ dum tibi comparantur, pro nihilo sunt habendæ: sed tamẽ neque iuuenis ille, neque qui sese excusatos haberi volebant, rogauerũt te, faceres, vt sese tibi darent, ita vt numquam permitteres eos in id insaniæ peruenire: neq; postquam peruenerant, fatebantur peccatum suum, neque rogauerunt, vt sibi maiorem quandam vim faceres: vt scilicet quãdoquidem videres eos terrenis affixos, erueres ipsos: vt hic facit, qui neque excusat peccatũ suum, neque non fatetur, sed maiore quadam tua potestate inuitari, & attrahi deside rat, ad hoc, vt sese tibi totum vt debet, & debere fatetur, credat, ac det: vt scilicet qđ tu tua sponte cum nonnullis, qui te id non rogabant, feceris, cum ipso facias, & compellas, vt illos, etiam ipsum introire: neque

pauper-

paupertatem ipſius abomineris,qui veſtem nuptialem non habeat,ſed miſertus eius de veſtiario tuo ipſum tu veſtias veſte nuptiali, etiam reluctante carne, & humana ratione, quibus ſeſe fatetur male parere, dū eas reprimere,& mortificare magis debeat,quā audire. Quare te earum repreſſorē ac mortificatorē habere cupit: aut certe vtcumq;, tandem rogat vt ſibi, ſicut ab amicis medicis phrenetico fit, vel inuito benefacias: nā quod factis tibi repugnat, id phreneſi tribuit: nec ita facturum ſeſe fuiſſe intelligit, ſi te quanti,qualiſque ſis,& quis ſis,recte intellexiſſet: ſed præ gaudio non ſua modo, ſed & ſeipſum abijceret, vt te theſaurū ſuū poſſet accipere.

Et quidem his rationibus non omnino abſurdum eſt etiā de hoc homine bene ſperare, nempe fore,vt aliquando tandem ſeſe totum per Dei gratiam Chriſto credat, vt ſaluus fiat: nam niſi hoc fecerit, ſaluus eſſe non poterit. Quam ob rem nemini procraſtinandum eſt, ſed ſemper id flagitandum eſt.

FINIS.



